

βέλευσις, nec προαίρεσις. Vide Deut. 1. v. 39. Esa. 7. v. 16. Jon. 4. v. 11. & Heb. 5. v. 14. August. T. 5. l. 12. de Civ. Dei c. 24. p. 306. scribit, quod ratio & intelligentia in infante sopita sit quodammodo, quasi nulla sit &c. E.

49. Malè hinc cum Pelagianis & Anabaptistis quis attentabit pugnare contra peccatum originis, quippe quod per unum hominem in mundum intravit, Rom. 5. v. 12. &c ita, ut omnes si non in infantili ætate εἶθε καὶ μιμήσῃ, saltem τῆ φύσῃ simus filii iræ, Eph. 2. v. 3. peccatumque in nobis habitet, Rom. 7. v. 17. 20. nobisque adjunctum sit. v. 21. & nos captivos reddat v. 23. Quia est ὑπερῆσαν ἡ ἀμαρτία, Heb. 12. v. 1. Non igitur citata dicta (thes. 48.) peccatum originis destruant, infantes nondum habere notitiam boni & mali, proindeque ab ipsis scientibus & volentibus nondum peccari.

50. Quod August. Tom. 7. l. 1. de peccat. merit. & remis. c. 17, p. 281. & c. 35. p. 291. & lib. 21. de Civit. Dei c. 16. Tom. 5. p. 284. Et in Enchirid. ad Laur. c. 99. luculentè docet, & nos cum illo. Licet autem negemus, infantes habere usum mentis: tamen asserentes, revera pravos motus cordis in illis existere, non pugnamus cum Augustino, ut oggannit Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. & statu peccat. c. 4. quippe qui non indiscriminatim omnes omnino ἐνεργείας καὶ κινήσεις infantibus detrahit (secus peccatum originis cogere tur statuere δέγρον, otiosum malum) sed duntaxat βελευτικὰς.

51. Frustra objectes ex Aret. part. 1. problem. quòd etiam infantibus competat pœnitentia Joël. 2. v. 16, ideòque etiam in illos quadret agnitio & volitio. Nam, ut non dicam, quod Piscator volum. 1. Disp. Loco 14. th 344. Aretii rejiciat sententiam, hoc duntaxat observari velim, quod pœnitentia vera constet & contritione, agnitionem peccati & iræ Dei complectente, & fide salvante. Quamvis igitur infantes, per baptismum in filios Dei adoptati, fidei justificantis sint facti participes; tamen contritionis, exquisitè loquendo sunt expertes. Illa enim oritur ex auditu & sensu legalium concionum. Peccatum enim non cognoscitur, nisi per legem, Rom. 7. v. 7. auditus autem iste non competit infantibus. Unde argumentor: Qui est expertus auditus legalium concionum, & agnitionis peccatorum, ille est contritionis quoque vacuus. Sublatà enim causa, tollitur ejus effectio. Infantes, quà tales, sunt expertes auditus legalium concionum &c. quamvis & quandoque multas sentiant patienturque afflictiones. Confer August. Tom. 2. de natura & orig. animar. ep. 28. p. 40.